

Page

1555

47 Jonatus Chw

rebr. 1717

Q. D. B. V.
DISPUTATIONEM PHILOSOPHICAM
Ex

Theologia Naturali

De

CULTU DEI

naturâ cognoscibili,

Benevolo indultu

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

PRÆSES

M. CONRADUS HULSIUS,

SS. Theol. Studios,

Et Respondens

HENRICUS Köppe / Phil. & Theol. Stud.

Martisburgenses,

publico Eruditorum Examine

subjiciunt

T 155

Ad d. III. Jun. M DC LXXXII.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ

Literis JOH. GEORG.





C. H. M.

PRÆLOQVIUM.

Theologiam Naturalem geminis constare principijs, naturæ lumine notis, Theoreticis nimirum & Practicis, ex omnibus Systematibus Theologicis patet. Theoretica vel insinuant, quod sit Deus, vel ostendunt, quid sit DEUS. Practicum, cum unum sit, monstrat Deum esse colendum. Quamvis autem utriusq; principii tractatio suâ non careat utilitate, ducimur enim exinde ad essentiam Dei cognoscendam; meretur tamen illa potissimum in præsentia evolvi, quæ principium naturalis Theologiæ practicum sistit considerandum. Præsertim cum hujus consideratio, quantum quidem ego memini, non tam frequenter sub disputationem hîc sit revocata, quàm illius forsitan, quâ tum de existentia, tum de essentia Dei, naturâ demonstrabili, sæpius fuit disputatum. Atque hoc ipsum etiam est, cur præsens Cultus divini, naturâ cognoscibilis, tractatio à me, specimen quoddam studiorum Philosophicorum daturò, fuit suscepta. Accingar igitur rei propositæ totamque disputationem absolvam tribus Capitibus, quorum primum demonstrabit Existentiam, sive quod cultus divinus naturâ possit cognosci, alterum Essentiam & in quantum ille cognoscatur, declarabit, ultimum denique Errores circa hanc notitiam recensabit. Faxit Deus feliciter!

CAPUT I.

§. I.

NOlo equidem cum iis absurditatis crimine me polluere, qui putamini inhærendo nucleum relinquunt, inq̄ otiosâ verborum interpretatione plus æquo occupantur, nihilominus tamen, cum aliqualem terminorum cognitionem ipsius rei notitiæ plurimum lucis momentiq̄ afferre expertum sit & comprobatum; oppidò paucis saltem & in hâc disputatione termini (quorum quatuor constituuntur) ab Homonymiâ, fœcundâ aliàs Errorum Genitrice, evolvendi sunt liberandique.

2. Quod itaq̄ I. *Cultum* attinet, notandum, varias hoc nomen subire significationes: sumitur enim vel *impropiè*, modò pro ornatu, quomodo cultus corporis, animi, orationis &c. dicitur, modò pro universa vitæ ratione & consuetudine, sicut apud Poëtam: a) *Gens dura atq; aspera cultu*; vel *propiè*, tum *in genere*, qua ratione colere dicimur illud quicquid est, quod officiis, industria ac labore studemus nobis facere, quantum possumus, beneficum. Ita terram colimus, ut nobis sit feracior, colimus tecta, urbes, ut ab externo frigore hostiumq̄ ingruente vi tuti ac illæsi reddamur; tum *in specie*, vel pro *cultu civili*, quando colimus homines potentes nobisque superiores, potentiæ vel præsidii alicujus gratia; item quoque Angelos; vel pro *cultu Religioso*, quemadmodum Deum colimus ut propitium nobis eum reddamus & benignum. Cultus itaq; posterior hîc intelligitur, qui in ejusmodi actionum exercitio consistit, quæ cum adoratione, spe & fiducia in Deum conjuncta, in ejus honorem ob summam Majestatem, excellentiam ac potestatem ab inferioribus suscipiuntur, ut ipsis facilis, propitius atq; beneficus reddatur. Cumq; pro diversitate actionum Cultus sit vel internus, vel externus, ille potissimum in præsentî locum obtinet, cum actiones externæ, quibus honorari vult DEUS, quoad maximam partem non tam ex libro Naturæ, quam Scripturæ petantur. Haut igitur accuratè vocem *Cultus* accepisse videtur Hobbesius b) dum ad actus honoris tantum externos eam extendit, neque sub ista quoque simul comprehendi vult internos (hos enim peculiari termino honorem dicit) qui tamen potioris h. l. sunt considerationis.

a) Virgil. l. V. *Æneid.* v. 730.

b) Hobbesius *Element. Philos. sect. 2. de Homine c. 14. §. 8. & sect. 3. de Relig. c. 15. §. 9.*

3. II. Per DEUM non intelligimus Numen aliquod fictum vel falsum, aut in sensu abusivo tale, quatenus notat omne id, quod à stolido vulgo ut Deus fingitur, & ab ipso piè colitur: neque cum Oratoribus & Poëtis sensum hñc attendimus tropicum, ubi & illi dicuntur Dii, alios quì in his terris vel potentia, vel autoritate, vel aliis donis ac bonis antecellunt; Sed verum & proprium, quo cum Voëtio c) *per Deum designamus illud ens, quod est summè perfectum, quo nihil majus aut perfectius aut sublimius, aut augustius ex cogitari potest, quodque summum Numen appellare consuevimus.*

4. Diximus III. *Natura*, s. quod idem est, *ex lumine Naturæ*. Ubi non intelligimus illud lumen perfectum, quod in natura *instituta* nobis fuit congenitum & obtinuisset semper, si in isto integritatis statu perstitissemus; Sed quod post lapsum in natura *destitutâ* hominibus nondum conversis remansit superstes, quod licet valdè obfuscatum sit & imperfectum factum, sua tamen perfectione prorsus non destituitur. Superfunt enim adhuc in intellectu nostro *νοῦναι* istæ *ἐνοῦναι*, quæ amissæ imaginis divinæ obscura quædam rudera (*ἐρείπια* Græcis elegantissimo vocabulo dicuntur) ac vestigia sunt, & amissæ illius lucis, quæ in hominis mente ante lapsum splendide fulgebat, superstites quædam ac sopitæ quasi scintillulæ d). Superfunt quoque vires quædam ingenii, quarum beneficio naturaliter discurrere & ex contemplatione operum & effectorum divinorum ad ipsam summi Opificis à quovis colendi existentiam homines argumentari valent.

5. Dum verò IV. *Cognoscibilitatis* vel etiam actualis *Cognitionis* mentionem facimus, non intelligimus 1) ejusmodi *Cognitionem*, quæ omnibus numeris absoluta est & perfecta, sed quæ perfecta est in suo genere; aliàs hæc ipsa ad Revelatam relata, imperfecta est, languida, imò ferè nulla, rectè docentibus Theologis nostris. e) Unde 2) non est *quidditativa*, ut Scholastici loqui amant, quia non omnia, quæ ad ejus essentiam perfectè cognoscendam pertinent, ex natura cognoscuntur, sed *quidditatis*, qua, cognita prius illius existentia, ex parte & confuse cognoscitur & ipsa essentia. Adeoque 3) non est salutifera sed pædagogica, per se tamen vera, ita ut nunquam revelatæ contrarietur Theologiæ.

A 3

6. Ter-

c) Voëtius in Theolog. Natural. Reform. c. 1. §. 1.

d) Clariff. Heerboord. Vol. 1. Select. Disput. 3. §. 2.

e) Vid. inter alios B. Chemnitium Part. 1. LL. quæst. 2.

6. Terminis ita pro instituti ratione explicatis Rem ipsam aggredimur ; & quidem probaturi, quod Cultus aliquis divinus beneficio luminis naturalis cognosci possit, præsupponimus Dei existentiam, & esse aliquod Numen, quod ab hominibus se coli velit. Verè lacteus & melitissimus Scriptor f) *Prius est Deum scire, consequenter colere.* Idem judicat Mornæus g) *Certè, inquit, de Religione Deiq; Cultu tractaturo perquam æquum est concedi hoc saltem principium, QVOD DEUS EST.* Aliàs voluntas honorandi eum, (verbis uti mihi liceat Hobbesii h) quem non putamus esse, nulla esse potest, juxta illud Philosophorum i) *Non-entis nullæ sunt affectiones, nulla prædicata.* Cùm verò cuivis, opinor, hominum satis pervasum sit, Deum existere, i. e. revera dari summum aliquod & primum ens, abs quo hoc universum dependeat, id multis argumentis, quæ Sapientes ex notitia nobiscum nata, ex subordinatione causarum, quæ demùm in primo aliquo fisti volunt, ex motu, & ex contemplatione machinæ hujus universi & id genus aliis desumunt, jam demonstrare supervacaneum erit, siquidem etiam scimus, illud ipsum abundè satis præstitisse præter Patres Ecclesiæ multos juniores Theologiæ Naturalis ac Revelatæ Scriptores. k)

7. Sed assumamus tamen communem istam argumentationem, quæ per notitiam tum *institam*, tum *acquisitam* Dei existentia demonstratur & ex eâ practicam hanc nostram conclusionem, *quod Deus sit colendus*, probare annitamur. Utraque quippe notitiâ ad nostrum propositum spectat, quatenus scilicet complectitur, aut ex se gignit principia & axiomata practica. Theoretica, ut quæ requiruntur ad verum & rectum de Deo sensum, uti diximus, præsupponuntur, ex quibus demùm fluunt & deducuntur Conclusiones practicæ, cultum divinum respicientes.

8. Innatam esse notitiam Numinis alicujus colendi probamus I. ex principiis practicis, omnium consensu, hominum cordibus inscriptis. Certum enim est, imò certo certius, naturalia quædam principia de discrimine honestorum & turpium (quid discrimen primum actus est religionis naturalis) hodieque superesse, quorum ductu, Ethnici non tantum

noye.

f) Lactantius l. 4. de verâ sapientiâ, c. 4. ita dictus à Pifecio,

g) Mornæus de Verit. R. C. c. 1.

h) Hobbesius Sect. 3. c. 15. §. 14. de Relig.

i) Vide Stalii reg. Phil.

k) Lege præter alios Morn. de V. R. C. c. 1. Grotium de eod. arg. l. 1. sub ini. Vossium de Theol. Gentil. l. 1. c. 1. Joh. Meisn. Theol. Nat.

noverunt, sed & quadantenus fecerunt, quod legi Dei consentaneum erat. Unde tùm præclarè quoq; Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Seneca, Epictetus de Virtute ac honestate aliisque, quæ ad vitam rectè ac ordine instituendam faciunt, disputant, ut multis Christianis ea in re palmam præripiant. Ex quibus ita argumentor: *Quicumque principia practica, sive legem Dei, ut Apostolus 1) loquitur in scriptam & innatam habet, naturaque ea facit, quæ isti legi consentanea sunt, ille novit, Deum esse colendum.* At qui omnis homo. E. Dicis: aliunde fortasse Gentiles hanc legis observationem hauserunt, quàm ex instinctu naturæ, vel enim ex institutione, vel ex conversatione, vel ex ratiocinatione? Resp. 1) non per institutionem ac traditionem Majorum, qui non rarò pejores, quàm posterì fuerunt, quin imo institutio apud barbaros fuit nulla, qui tamen lege non caruerunt, 2) non per conversationem cum Judæis: licet enim de Gentilium nonnullis hoc concedamus, quid tamen dicendum erit de reliquis, quos cum Judæis nunquam conversatos fuisse scimus. *Non est, inquit Mornæus m) hæc fides ex consuetudine commercioque vicinorum profecta, sed in mundi climatibus omnibus scripta & lecta, in ipso homine inusta & insculpta.* 3) Non per ratiocinationem, ex adspæctu nimirum. Creaturarum, tùm quia multi non sunt sic usi ratione, qui tamen legem habuisse innuuntur, tùm quod stimulos senserunt, cum nullas Creaturas adspexerunt, cumque ante de iis planè non cogitarunt, tùm quid ipse Creaturarum adspæctus perse legem illis dictare, nedum cordibus inscribere haut potuerit, nisi quædam fuerit anticipata Dei diviniq; cultus notio. E. concludimus cum Meisnero n): *Cùm nec per disciplinam, nec conversationem, nec adspæctum Creaturarum legem habuerint Gentiles, utique à naturâ vel per naturalem impressionem habuisse relinquuntur.*

9. II. Ex Testimonio Conscientiæ interno, quod ejusmodi sup-
peditat argumentum: *Quorumcunque Conscientia intrinsecus testatur, dari benè vel malè facta, adeoque esse aliquem Judicem, ea vel approban-
tem vel punientem, illi ipsi & intrinsecam habent notitiam de Deo, ut Vin-
dice & Remuneratore, colendo, Atque omnium hominum Conscientia talis
est, E. Majoris Consequentiâ clara est atque evidens quis enim scelerum*

Vin-

1) Rom. II. 14. 15.

m) Mornæus de Verit. Rel. Christ. c. 7.

n) Meisnerus lib. 3. de legib. quæst. 1. p. 137.

Vindicem non timeat? bonorum Remuneratorem non amet? Minor duplici viâ probari potest, partim ipsorum Gentilium testimonio, partim experienciâ. Pulchrè Sulmonensium Decus o)

*Conscia Mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro factis spemque metumque suo.*

Huic consonum est illud exactissimi Oratoris pariter ac Philosophi p): *Magna vis est conscientia & magna in utramq; partem: ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.* Sed quid verbis opus est, cum adsint rerum testimonia? In se modò quisque descendat & reperiet, esse aliquem, quem timeat. Timor quippe supremi Numinis naturaliter ex cordibus hominum prorumpit; quod videre est in malè moratis Barbaris & ab omni doctrinâ & institutione remotis, qui cum tonitrua audiunt, timent, suoque timore testantur insitam esse naturaliter mentibus hanc notitiam, quod sit aliquod summum Numen, quod, quia scelera punit & præmiis virtutes compensat, timeatur & ametur. Neque obstat, quod quidam extiterint, aut adhuc fortè existant, qui Deum ejusque cultum religiosum, spernant aut negent, quique, ut impunè & securè quidvis perpetrent, animam non superesse, feleribus suis non esse vindicem, non judicem, persuadere sibi conantur; interim si præsens aliquod periculum ingruat, malique aliquid minetur: si quid inexpectatum strideat strepante, omnibus artibus contremiscunt, cœlum suspiciunt, Deum ingeminant: quod si mortis hora adveniat, expallescunt, in extremo demùm agone toto corpore, totâ anima jactantur; tandemque desperabundi quamcunque divinitatis speciem amplectuntur, quamcunque Religionis umbram captant, ceu loqui amat modò laudatus Mornæus loco citato.

io. III. Ex universali & perpetuo omnium populorum consensu. Nulla enim reperta est hodieque reperitur Natio, suam quæ non habeat Religionem, vel saltem Religionis vestigium; scil. sensus divinitatis naturaliter omnibus insitus tam efficax est in Gentilibus, ut quidvis potius, etiam infra hominis naturam positum, ut Deum, quàm nullum Deum colant ac venerentur. Eleganter in hanc rem scribit Geilfusius q): *Ipsa idololatria quò scædior est, & inanibus figmentis addictior, tantò*

o) Ovidius l. i. Fastor.

p) Cicero in Orat. pro Milonè.

q) Geilfusius in Pneumat. p. 27.

tantò evidentius arguit, insitum esse hominibus sensum Divinitatis. Hinc homo gloriae cupidus maluit se abjicere infra bestias, & colere lapides & ligna, quàm nullum planè Deum agnoscere. Ita verò est; postquam omnibus hominibus injuncta est reverentia in Deum, neque ulla de ea dubitandi relicta occasio. Id quod probè observans Stagirita noster r) puniendos eos dicitat, qui super ea disputent. Cui calculum quoque suum adjicit Cicero s) *Mala & impia*, inquit, *consuetudo est contra Deos disputandi, sive animo id fiat, sive simulatè.* Alia Sapientiorum Gentilium testimonia meritò silentio prætereo, cum non opus sit, hæc omnia pluribus persequi. Alia namque adhuc nobis excutienda restant, petita imprimis ex Notitia acquisita.

11. Hæc enim plurima nobis suppeditabit argumenta, quæ in cognitionem veri hujus cultus divini nos adducent. Dum enim esse Deum agnoscimus, non possumus non simul cognoscere Attributa ejus essentialia, quæ nos erga Deum obligant sufficientissimè. Et sanè campus dicendi pateret nobis amplissimus, si omnia ista attributa, tum quæ absoluta, tum quæ respectiva dicuntur, sigillatim contemplati debitam nostram erga supremum Numen reverentiam ex iis colligeremus, quod tamen jam facere, temporis penuria pressi, & ne in debitâ majorem molem excrefcere videatur hæc nostra disputatio, supersedemus. Sufficere enim potest hac vice, ut in unum quasi fasciculum ea colligamus unoque nomine, *Perfectionis* scil. salutemus, adeò, ut illud Ens coli ac honorari cognoscatur, quod omnibus gaudeat perfectionibus, vel, quod absolutè sit perfectum perfectèque absolutum. Nihilominus tamen ex tam multis unam atque alteram Perfectionem proponere liceat, ut clarius & evidentius debitus hic cultus divinus cognoscatur. Et quidem sufficiat h.l. adduxisse, Deum esse causam primam, cui creaturæ rationales esse suum debent, eum esse sapientem, bonum, potentem, absolutoque gaudere in Creaturas ratione præditas Dominio; ex quibus quivis hominum natura manifestè concludere potest, se ob eas perfectiones ad obedientiam Deo præstandam esse obligatissimum.

12. Et quamobrem homo obligatum se esse non profiteatur, cui esse suum debet, & à quo, Ente per se & à se existente, in esse suo dependet? *Posito enim Deo (Ente Independente) & posito subjecto (ente dependente)*

B

r) Aristoteles lib. 1. Topic. c. 11. t. 9.

s) Cicero in fine l. 2. de Nat. Deor.

dente) *cultus sive Religionis capace, aliquem cultum poni necesse est, qui subjectum istud capax seu Creaturam rationalem Deo adstringat & obliget. Sed datur ejusmodi Ens Independens & Ens dependens, E. Majoris ratio manifesta est: Divinitas enim in primò suo conceptu dicit Independentiam, dicit eminentiam & excellentiam in omni genere perfectionis, quæ omnium rerum, adeoq; ipsius etiam Creaturæ rationalis causa est. Homo vero ut creatura rationalis, dicit intrinsecè dependentiam à causa ista secundum se totam & capacitatem, quâ ad Religionem exercendam apta est. Hæc utraque, Independentia summi Entis, & dependentia hominis cultus Religiosi fundamentum est. Natura enim talis ob independentiam istam suam & excellentiam non tantum digna est, circa quam versetur Cultus religiosus, sed & jus habet eum exigendi: Creatura vero rationalis, ob istam suam in omnibus ab ista Natura dependentiam obligata est ad Cultum ei deferendum. Videatur pluribus Episcopiis. t)*

13. Quod si quis mirabilem Macrocosmi & Microcosmi structuram paulò accuratius ponderaverit, reperiet, divinos illos *Sapientia, Bonitatis & Potentia* characteres rebus istis esse impressos, quos dum eruit, verè philosophari dicitur, & in eo etiam omnis vera Philosophia absolvitur, ut ex visibilibus Deum invisibilem aperiat, animoque sistat & cognoscendum & colendum, u) ac proinde vi hujus pro cultus divini naturali cognoscibilitate facile argumentari potest: *Quicumque hoc universum potenter creavit, sapienter ordinavit & in hominis usum adhuc benignè conservat, illi ab homine debetur Cultus honorque religiosus, Sed Deus & c.* E. Majorem probare facile est, quia horum operum contemplatio, quæ in omnibus hominibus est aut esse potest, secundum effatum Apostoli x) manu quasi homines ducit ad ipsam Dei, tanquam Effectoris potentissimi, cognitionem & reverentiam. Minor ita declaratur: Produxit Deus mundum majorem minoremque, rebusque omnibus entitatem largitus est pro summa sua *bonitate, sapientia, potentiaq;*, ut ipse in iis & agnosceretur & laudaretur. *Sapientiam* monstrat pulcherrimus universi ordo & proportio; *Bonitatem* rerum creaturarum finis, utpote quas non sui, sed hominis causâ condidit optimus Deus; *Potentiam* admiranda Cœli, Terræ, Rerumque naturalium effecta & Virtutes. Cùm itaque Creaturarum

exi-

t) Episcopiis l. i. Instit. Theol. c. VII.

u) Vid. Heerbord. Vol. i. Disp. Select. 3. §. 6.

existentia Dei existentiam earum Virtutes & effecta Dei Virtutes & effecta tanquam in clarissimo speculo cuius Gentium proponant cognoscenda & contemplanda, patet, notitiam hanc non posse non sequi cultum amoremque Dei: tantum enim diligimus, quantum cognoscimus.

14. Tandem validissimum nobis præbet argumentum Supremum Dei Dominium, ex quo sic concludimus: *Qui per essentiam suam Dominus est, & jus Dominiumq; habet in res creatas omnes, illi debetur honor Cultusve à Creaturis, potestati ejus subjectis, Atqui Deus, E. Majoris con-* nexio quoad prius patet, quia qui per suam essentiam eminentissimo Dominio gaudet, ille etiam ob hanc naturæ excellentiam suscipi debet ac honore affici, sicut §. 12. dictum, unde etiam Epicurus y) quàmvis Deum inermem faceret, & omnia illi tela detraheret, ac ne cuiquam metuendus esset, eum projecisset extra mundum, ac denique negasset eum nostri esse curiosum; potiusque dixisset eum esse in septum ingenti quodam & inexplicabili muro divisumque à conspectu & contactu mortalium, nullum ejus beneficium habentium, dixit, tamen colendum esse ab homine *propter majestatem ejus eximiam singularemque naturam; quoad posterius* vi Relationis: Supremo enim juri ac Dominio in Deo respondet obligatio in Creaturis, potestati illius quæ subsunt. Utriusque connexionem Aureum illud Os z) innuere videtur his verbis: *Deo multa debemus, quòd & nos, cum non essemus, fecerit, & quòd tales creavit & factos regit ac continet, & quòd quotidie tam privatim, quàm communiter providet nostrique curam gerit &c. Si quis enim unumquodque eorum enumeret, innoxius. Non solum autem propter hæc, sed etiam propter Majestatem ejus gloria, propter substantiam ab omni interitu alienam: nam etiam propter eam debetur ei à nobis gloria & benedictio, & perpetua gratiarum actio, cultus & ministerium. Ex quibus facile Minorem quoq; argumenti nostri confirmare possumus. Cur enim Deus per essentiam Dominus salutatur nisi propter Majestatem suam, quia est maximus, quia optimus, quia pulcherrimus. Æthiopes id moris habebant, referente Philosopho aa) ut secundum magnitudinem & pulchritudinem deferrent alicui Magistratum & potestatem in alios; Deo hoc competit eminentissimè, nec ex aliena deputatione, sed suapte natura. Dominium verò in res creatas*

B 2

omnes

y) Seneca l. 4. de Benefic. c. 19.

z) Chrysofost in Psalm. CXLIV. 1.

aa) Aristot. l. 4. Polit. c. 4.

omnes vindicat sibi supremum Numen ex Creatione & productione prima ex nihilo, Conservatione à primo productionis momento aliisque. De quibus omnibus videri potest pluribus Theophilus Raynaudus bb).

CAPUT SECUNDUM

§. 15.

HActenus, quæ ad cognoscendam existentiam Cultus divini pertinent, evolvimus; restat, ut quæ ejus sit essentia, & in quantum cognosci possit naturaliter, inquiramus. Scopo a. nostro propius, opinior, accedemus, si in hoc capite ad IV. potissimum attenderimus, nempe 1) ad objectum colendum, 2) subjectum colens, 3) modum colendi, 4) usum & effectum, ex hoc cultu resultantem. Et sic speramus, fore, ut nihil ferme, ad essentiam cultus divini contemplandam spectans, quod sub his IV. comprehendi nequeat, omittatur.

16. Quod itaque *Objectum*, quod cultu prosequendum est, attinet Deus est. Cum verò quilibet curæ sibi habeat maximæ, ut rectam de summi illius Numminis Cultu sententiam obtineat, necesse quoque est rectam habeat de Dei essentia cognitionem: quomodo enim DEUM verè & rectè colere potest ille, cujus animus vera rectaque de ejus essentia cognitione non est imbutus? nam *præcipuum Religionis est*, ut ait Epictetus cc) *rectas de Diis (Deo) habere opiniones, ut sentiamus & esse eos (eum) & benè justèq; administrare universa*. Unde Religionis naturalis Scriptores duas communiter ejus constituunt partes, tum ut de Deo rectè sentiatur, tum ut actiones hominum ad ejus voluntatem componantur dd). Quare & nos, in essentia Cultus divini declaranda ne aberremus, ad ductum *maximè Reverendi Dn. D. Alberti*, ee) *communis nostri Præceptoris*, pro fundamento ponamus attributa quædam essentialia, conclusiones gignentia theoreticas, ex quibus deducamus practicas.

17. Sit itaque prima: *Deus essentiâ est unus, E. unicè est colendus*. Ratio est manifestissima: aliàs si quis præter hunc, quem unicum esse

cogno-

bb) Raynaudus In Theol. Nat. Dist. VII. Quæst. 3. Artic. IV. Conf. Disp. Clariss. M. Lehmanni de Jure Dei in Creaturas sub præsidio Max. Reverend. Dn. Parentis habitam.

cc) Epictetus in Enchiridio c. XXXIIX.

dd) Vid. præter Vossium in Theol. Gent. l. r. c. 3. Pufendorff, de Off. H. & C. l. I. c. 4. §. I.

ee) D. Alberti in Compend. Jur. Nat. part. 2, c. 1.

cognovit plures alios coleret, Deum non coleret, quoniam cultum ipsi de-
traheret, detractumque conferret aliis, qui non essent Deus. Prius ve-
rò, Deum essentia esse unicum, natura cognoscibile est, probarique potest
plurimis argumentis, quorum egregium numerum è Patribus apud La-
ctantium, ex Scholasticis apud Thomam reperiri testatur Vossius ff). Ne-
que obstat, quod inter ipsos Scholasticos lis exorta sit de argumentorum
certitudine, an nimirum apodictica ea sint, quod Thomas, an verò pro-
babilia, quod Gabriel Biel asseruit. Sufficit, quod Gentiles ad unius
Dei existentiam cognoscendam perduxerint, de quibus modò laudatus
Pater gg) affirmat. *Cum jurant, & cum optant, & cum gratias agunt,
non Jovem, aut Deos multos, sed Deum nominant, adeò ipsa Veritas,
cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit.* Et alibi hh): *Con-
victi de uno Deo, cum id negare non possunt, ipsum se colere affirmant.*
Sed audiamus ipsos Gentiles. Maximus Madaurensis, Grammaticus,
ad Augustinum in Epistola quadam ita scribit: *Equidem unum esse De-
um summum atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus ne-
get esse certissimum? hujus nos Virtutes per mundanum opus diffusas mul-
tis vocabulis invocamus, quoniam nomen ejus cuncti proprium ignoramus & c.*
Quem latet, Pythagoram unum Deum confessum esse, ideòque etiam
dixisse eum *Movada* sive unitatem? Socratem pro unitate Dei mortuum
esse, & exinde Gentilium Martyrem dictum, quem fugit?

18. Secunda: *Deus est invisibilis, E. ut talis est colendus.* Tan-
tum etenim diligimus, quantum cognoscimus, uti cap. præced. §. 13. di-
ximus. Cum verò Deus, ut Spiritus, nec carnem, nec ossa habens,
adeoq; invisibilis cognoscatur, quid causæ subest, sub specie quadam
visibili cultus ut ei deferatur? Ipsi Gentilium Antropomorphitæ, Epi-
curei puto, (contra quorum sententiam ab absurdo argumentatus egre-
giè perorat Cicero ii) tametsi formam humanam Deo tribuebant, dice-
bant tamen eum non sensu, sed mente cerni. Unde patet, tam clare in-
visibilitatem Dei in lumine Naturæ radiare; imò consequens etiam ejus,
cultum scil. sub nulla visibili specie, uti loquitur Excell. Dn. D. Alberti
l. c. kk) subjungens nonnulla Gentilium testimonia, quæ ibi evolvi pos-
sunt legique.

B 3

19.

ff) Vossius Theol. Gent. l. 1. c. 2.

gg) Lactantius l. 2. divin. Justit. c. 17.

hh) Et lib. 1. c. 2.

ii) Cicero l. 1. de Nat. Deor. n. 92.

kk) D. Alberti, in Compend. Jur. Nat. Part. 2. c. 1. §. 107.

19. Tertia: *Deus potens est & benignus, E. pp. potentiam & promittitudinem ad iuvandum est invocandus, est honorandus.* Honor enim est opinio alienæ potentiæ conjunctæ cum bonitate, ll) Vel, est testimonium summæ bonitatis & potentiæ, quam cognoscas in eo, quem colis. mm) E. debet animus hominis ex consideratione potentiæ & bonitatis DEI, quantum potest secum venerationem adversus ipsum concipere. Qua ex causa nullos alios inter precandum titulos Deo tribuit Cicero nn) quàm qui potentiam Dei ac benignitatem exprimunt. Ac communis etiam apud Ethnicos Jovis (mallem Dei) titulus est, quod dicatur Optimus, Maximus; Optimus propter bonitatem, Maximus propter potentiam. Ex his fluit specialius sic dictus Dei Cultus, ut eundem debeamus *amare*, tanquam omnis boni autorem & datorem; in eum *sperare* tanquam abs quo in futurum quoq; omnis nostra felicitas dependeat; ei *credere ac confidere*, tanquam veraci dictis & factis, dicente Platone; ejus voluntate *acquiescere*, tanquam qui pro sua bonitate omnia optimè faciat, nobisq; det, quæ maximè expediunt; eum *timere*, tanquam justissimum scelerum vindicem; ei deniq; in omnibus humillimè *obsequi*, tanquam potentissimo Creatori nostro, Domino ac Reçtori Optimo, Maximo. Quos internos Cultûs divini actus plurimis Gentilium Philosophorum dictis ac sententiis possemus illustrare, pagellæ hujus si caperet angustia. Sufficientem earum copiam collegit & citavit modò laudatus & sæpius laudandus Dn. D. Alberti l. c. quem consule.

20. Pergimus nunc ad *Subjctum colens secundum qualitatem consideratum*, quod non quævis Creatura sub cælo est, sed ea, quæ intellectu & voluntate gaudet, Deumq; colendi capax est, homo nimirum. Hic verò non quocunq; modo, & illotis, quod ajunt, manibus ab Deum accedat, sed in cultu talem se præstet, qualem Deum secundum ea attributa, quæ Virtutibus sunt similia, esse novit, juxta illud Menandri:

*Oportet esse quemlibet (Cultorem Dei) Virum bonum,
Non virgines & Conjuges corrumpere,
Circumvenire, ob rem necare quempiam,
Aliena spectare atq; concupiscere, &c.*

Idem volebat lex XII. Tabul. quam allegat Cicero oo) *Ad divos adven-*

10

ll) Pufendorf, de offic. H. & C. l. r. c. 4. §. 6.

mm) H. Grotius de Verit. Relig. Christ. l. 4. p. 191.

nn) Cicero in Orat. pro domo suâ ad Pontifices.

oo) Idem de Legibus lib. 2. 19.

to castè, pietatem adhibento, opes amovento. *Qui secus faxit, DEUS ipse vindex erit.* Neque id faciat extrinsecè tantum, Viri boni speciem præ se ferendo, sed intrinsecè & cum affectu; animo colat DEUM & corpore, corde & ore, factò & proposito. Quod ipsum intenderunt etiam Gentilium faniore, quæ non tantum honestum erat, nihil injustum committere, sed ne quidem cogitando talia velle. Audiamus Zaleucum pp) qui ita concludit: *Necesse est itaque quemvis, qui quidem Deo charus sit futurus, pro virili, tum factò, tum proposito, bonum esse.* Porphyrii qq) elegans planè in hanc rem est locus: *Postquam factis abstinueris, abstinendum & motibus, ac maximè ipsis animi morbis.* Quid enim prodest factis abstinere, si causis, unde ea procedunt, adstrictus maneat, His conformiter Cicero rr) *Cultus, inquit, Deorum est optimus idemq; castissimus plenissimusq; pietatis, ut eos semper purâ, integrâ & in corruptâ & mente & voce veneremur.*

21. *Modus colendi Deum à lumine Naturæ delineatur vel in genere, vel in specie.* In genere, ille modus observari debet, qui solus Deo placere possit, quemadmodum Socratis sententia fuisse legitur, Deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse præceperit. Idem ss) dixit: *Quod dilectum Diis, sanctum est, quòd verò non dilectum, profanum.* Et Cicero tt) *Equidem sic accepi, ait ad Pontifices, in Religionibus suscipiendis, caput esse interpretari, quæ Voluntas Deorum immortalium esse videatur.* In specie si delineari debet, notanda & præcognoscenda est distinctio *Cultus in internum & externum;* juxta utrumq; enim *modus* est metiendus. Et quidem cum *internus* consistat, in iis virtuosis actibus, quos §. 19. adduximus, quique pro subjecto animum habent, videndum, quomodo Virtutes istæ, quibus Deo cultum præstamus, debeant esse comparatæ. Idque facili negotio constabit, si ad ea attributa, quæ Cultum ab hominibus requirunt, attenderimus; hæc quoniam in Deo sunt gradu eminentissimo, iis quoque, modo, quantum potest, perfectissimo, cultus respondeat necesse est.

22. Optimus itaque cum Deus sit, *amandus* quoque est super omnia bona. Quod Marsilius Ficinus uu) mentem Deotimæ apud Platonem

pp) Stobæus, Sermon. 42.

qq) Porphyrius l. 1. de Abstinencia.

rr) Cicero l. 2. de Nat. Deor. 71.

ss) Plato in Entyphron.

tt) Cicero in Oration. pro domo suâ ad Pontifices. n. 107.

uu) Marsilius Ficinus in Comment. super istum librum Platonis c. 20. sub fin.

nem in Convivio de Amore exponens, ita eloquitur: *Dei pulchritudo absque dubio infinita dicitur pulchritudo. Infinita verò pulchritudo immensum quoque requirit amorem. Quapropter Te obsecro, Socrates, ut certo quodam modo & termino cetera diligas. Deum verò amore diligas infinito, neque ullus divino modus adsit amori.* Idem cum sit Maximus & æquissimus Judex, Vindexque acerrimus magis omnibus malis metuendus. Eidem, quia simpliciter verax, simpliciter credendum; quia absolute summus & absolute potens, absolute parendum est.

23. Ut ut verò hi colendi *Modi* ex naturâ delineantur, cognoscuntur tamen 1) *imperfectè*, quia α) languidè & & confusè tantum Dei cultum sistunt cognitum; distinctâ ac certissimâ notione non tradunt. β) Sic non tranquillat aut acquiescere faciunt hominis genium, ut nulli scrupuli nullæque dubitationes penes ipsum resideant, γ) collati revelatis colendi *Modis* ad oculum manci deprehenduntur. Ex quibus sequitur, hujus Θεοσεβείας γνώσιν, notam Φύσιν, ad adipiscendam salutem sempiternam, omnium hominum, ex intentione Dei (voluntate antecedente) finem ultimum, esse perquam in sufficientem, id quod à Dnno Theologis passim & prolixè probatur. Nobis nunc sufficit, quod persenserint, vel persentire potuerint hanc insufficientiam Ethnici, dum animæ immortalitatem dari, & haut lubrico niti fundamento fassi sunt, nesciverunt tamen quo pacto ad locum beatorum, quibus post mortem benè esse augurabantur, pervenirent. 2) *Fide humanâ*, minimè divinâ, quia hanc sola revelatio, illam solam ratiocinatio gignit. Idolorum enim aut Oraculorum revelationes (quas divinas putabant,) spurias esse facile deprehendere poterant ex amphiboliis, quibus utebantur, aliisque circumstantiis; imò nonnunquam deprehendebant, ut suo tempore Φιλίππιον, h. e. cum Philippo facere Pythiam dicebat Demosthenes apud Ciceronem xx).

24. Superest, ut quoque ratione *Cultus externi* *Modus* colendi describatur. Qui quidem *in genere* ex natura sciri potest, ut scilicet homo Deo *gratias agat* pro tot bonis ab eo acceptis; ut ipsius voluntatem per actiones suas, quantum fieri potest, exprimat, seu ei *obtemperet*, ut ejus magnitudinem *admiretur & celebret*; ut *preces* ad ipsum *fundat* pro obtinendis bonis & averruncandis malis; ut de Deo *consideratè loquatur*: id enim est signum timoris; timor autem potentiae confessio est. Ex quo

xx) Cicero lib. 2. de Divinat. 118.

quo consequitur: non esse utendum Dei nomine & temerè & frustrà utrumq; inconsideratum: & quæ sunt alia à celeberrimo Pufendorffio yy) adducta. *In specio* verò vix ac ne vix quidem à lumine naturæ determinatur, potius à Deo colendo ipso. Ergò non rationi humanæ, sed relationi, quomodocunq; factæ, debuerunt Gentiles cultū per sacrificia zz) quippe quæ, iudicio Melanchthonis, *opera sunt à Deo præcepta*. Neq; etiam assequi potuerunt, septimum è singulis septimanis diem ad cultum solennem eligendum esse, etsi ratio facilè perspexit, non decere Cultores Dei, ut ab illo nimis diu cessent. Hinc tam multæ Gentilium festiuitates celebrabantur quarum innumerum numerum vide apud Hospinianum. aaa)

25. *Usus* huius Religionis s. Cultus naturalis duplex est: Pædagogicus & Pædeuticus, illum Deus, hunc, priori sæpiùs neglecto, homines intenderunt. *Pædagogicus* primus debebat esse usus totius Theologiæ Naturalis, posteaquam Gentiles probè intellexerunt, suam de Religione notitiam fide tantum humana niti; concipere hinc debuissent desiderium cognoscendi Modum Cultus diuini fide diuina ex revelatione. Quod etiam nullo negotio effectui dare potuissent, siquidem rationes suppetebant firmissimæ, bbb) ab hac cognitione Dei, ex natura hausta, ejusque imperfectione, ad perfectiorem & sufficientem, quam ipse Deus cœlitus communicasset, eos manuducendi. Qua methodo etiam processit Paulus Act. XIV. 14. seqq. & Act. XVII. 22. seqq. ubi prædicavit Atheniensibus illum Deum, quem antea, ut ignotum, coluerunt. Sed cum istam suæ Theologiæ finem primarium neglexerint Gentiles, facti ob id sunt inexcusabiles. Arripuerunt verò alterum potius usum, eumq; secundarium, Pædeuticum scil. in vita civili præstantem plurimum. Celebris ex eo lex fuit Platonis ccc) *Religionis primum in Rep. curam habeto, deq; ea certis legibus caveto*. Nempe Religio est, quæ Deo O. M. cultum, Magistratui observantiam, populo concordiam præstat, utrosq; in officio continet. Plenius in hanc rem Cicero, ddd) qui, postquam monuisset, quid de Diis debeat esse persuasum civibus, mox subjicit: *Utiles autem esse opiniones has, quis neget, cum intelligat, quàm multa firmentur jurejurando, quanta salutis sint fœdera Religionis? quàm multos divini supplicii*

C

yy) Pufendorf. lib. 1. de off. H. & C. c. 4. §. 7.

zz) Frischmuth. Diss. de Sacrific. c. 2. Jo. Saubert. de Sacrif. c. 2.

aaa) Hospinianus de Fest. Græc. & Roman.

bbb) D. Alberti in Disp. de Χρηστικότητα Θεωρωσιας Nat. ad Revel.

ccc) Plato lib. 11. de Republ.

ddd) Cicero l. 11. de Legib. n. 15. 16.

mc-

metum scelere revocare? quamq̄, sancta sit societas civium inter ipsos, Diis immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus? Et Christianorum Cicerone eee) Timor Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem, per quem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur. Inde Gentes plerasq; omnes consensisse in hanc sententiã, certis experimentis inductas, nullam civitatem sine hac vel ad breve tempus in columem esse posse, palmarium seculi nostri decus Herm. Conringius fff) observat. Et Religionem sive cultum divinum esse revera ultimum & firmissimum humanæ societatis vinculum, eruditè demonstrat Pufendorfus l. c. §. 9.

CAPUT TERTIUM.

§. 26.

Vidimus hucusq; in quonam consistat, & in quantum cognoscatur Cultus divinus ex lumine Naturæ, sive, adumbravimus *καδδύναμι* mediocritatem observantes Scyllam inter & Charybdin versando, ea, quæ ad essentiam Religionis naturalis cognoscendam spectarunt, quibus etiam contenti esse possemus, nisi inter priorum Capitulorum elaborationem insignes circa doctrinam hanc errores nobis obvenerint, quos si pro ratione instituti breviter excusserimus, haut abs re, opinor, erit, facietque plurimum ad pleniorẽ & clariorem cognitionem eorum, quæ in præcedentibus à nobis fuere dicta.

27. Nonnus autem iis recensendis immorari, qui, sicut circa geminam illam & genuinam Dei existentiam cognoscendi rationem, ita per consequens circa naturalem Cultus divini ex iisdem principiis cognoscibilitatem errare errores, quales fuere Timplerus, ggg) Conradus Vorstius, hhh) Scaliger iii) & Socinus kkk) citati ab Heerboordio *Disp. supra citata*, quorum priores tres dum insitam, postremus verò utramq; insitam æquè ac acquisitam Deum naturaliter intelligendi notitiam strenuè negarunt, Cultum quoq; divinum per easdem notitias naturaliter cognoscibilem negasse ex bona consequentia & à posteriori innuuntur. Qui enim negat connatam de Dei existentia notitiam, negat quoq; de ejus cultu; & qui negat Deum planè naturaliter cognosci non posse, omnem quoq; naturalem cultum tollit. In eo potius labor noster positus erit, ut qui circa es-

eee) Lactantius lib. de irâ Dei c. 12.

fff) H. Conringius in aureo de Civil. Prudent. libro. Conf. Leibnizii *Disp. de Republ. Platonis Ahdorffi* habitam anno 1676.

ggg) Timplerus in *Metaph. lib. 4. c. 2. q. 2.*

hhh) Vorstius in notis ad *Disp. 1. de Deo p. 119.* & in apologeticâ *Exegesi c. 1.*

iii) Scaliger *Exerc. 307. sect. 18.* kkk) Socin. in *Prælect. Theol. c. 2.*

fentiam Cultus divini, & in specie circa *objectum, subjectum, modum & effectum* peccaverint, dispiciamus. Et sic reperimus, dari, qui à doctrina supra proposita bifariam recedant, vel *excessu*, Dei cultum superfluo quodam vitando, vel *defectu*, divinum Numen contemnendo. Ille dicitur *superstitio* à superstando, non quasi Deus verus vero cultu nimium coli possit; Sed quia ad materiam Cultus accedat, quod eum corrumpat. Hic dicitur à *Jeōnes*, aliquibus *irreligiositas*. Utrumq; modum exponit Plutarchus (III): *Nonnulli, inquit, à recto itinere aberrantes, planè in superstitionem inciderunt; alii velut paludem fugiendo superstitionem, imprudens in precipitium quasi quoddam, in impietatem inciderunt.*

28. In *Excessu* itaq; circa *Objectum colendum* errarunt Gentiles, qui
 1) Deum non ut unum coluere, sed duo facientes principia, bonum unum, alterum malum, utriq; divinum præstiterunt cultum, illi, ut bonis nos cumulet, huic, ne noceat, malaque averruncet. Per antiquam esse hanc doctrinam, omnibusq; penè Gentibus, traditione partim, partim ratione adductis, olim fuisse communem, docet Vossius (mmm). 2) qui non soli DEO sacra fecere, sed præter hunc Mentibus quoq; sive Spiritibus Creatis, homine tamen superioribus; animabus itidem defunctorum; illis quidem propter naturæ merè spiritualis nulliq; interitui obnoxia præstantiam, propter intellectus excellentiam, eorum potentiam, velocitatem, curam ac ministerium pro hominibus; his verò propter egregias, dum in his terris superstites viverent, res gestas, statumq; post hanc vitam felicissimum. 3) qui Deum ut unum quidem & agnovere & coluere, non tamen ut invisibilem, sed sub specie aliqua sensibili, puta, natura universæq; naturæ effectis & operibus, ut in quibus Deus virtutem suam & potentiam ostenderet celebrandamq; proponeret. Sic venerabantur Cælum & astra (inter hæc potissimum Solem) & omnia elementa, ignem, aquam, aërem, terram, quid? quod indignissimum est, ad bestiarum herbarumq; quarumvis cultum delabebantur, Aegyptii in primis de quibus Juvenalis (nnn).

Quis nescit, - - - - - qualia demens

Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat.

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam:

Porrum & cepe nefas violare ac frangere morsu, &c.

Imò dantur in hunc usq; diem Benjani in Indiâ aliæq; Gentes Orientales, quæ adeò in bestias religiosa sunt, ut nullum animantium genus inte-

C 2

III) Plutarchus in erudito libello de *Iside & Osiride*.

mmm) Vossius *Theol. Gent. l. 1. c. 5.*

nnn) *Juven. Sat. XV. v. 1. 2. 7. 8.*

rimant, veritate, ne quem Deorum suorum (qui Majores sunt, quorum animas superstites de corporibus in alia corpora migrare credunt Pythagoricam *αἰθερῶν* statuentes) interficiant 000). Quid dicam de reliqua Gentilium superstitione, Græcorum scil. & Latinorum, quos non modò substantias, sed & eas res, quæ per se non subsistunt, sed aliarum rerum sunt accidentia, affectus scil. rerumque privationes adorasse, iisque templa extruxisse legimus? Turpissimè à vera divini cultus notitia, perversa facta applicatione, aberrasse eos, inter alios integro libro docet H. Grot. ppp)

29. Jure quoque hinc taxandi sunt Christianorum nonnulli, qui circa *objectum colendum* eo procedunt, ut statuatur, Deum Trinum ex lumine naturæ posse cognosci atque deduci; verum cum hoc Mysterium sit, nec minime extra Ecclesiam querendum, imò nullam in hoc pervestigando vim habeat ratio rrr) (ut etiam in gentilismum aliquid emanarit de *λογος*, de *ὁμοῦ* *θεῶν*, plagia tamen illa sunt teste Danhauero, qqq) è Mose & Prophetis rapta) nullus quoque Cultus Dei Trinius natura erit cognoscibilis.

30. Progredimur porrò in adducendis erroribus, & quando §. 23. præced. cap. diximus, internos Cultus divini actus ex natura cognosci imperfectè & ad salutem insufficienter, dantur, qui hanc nostram assertionem impugnant, dicendo, Notitiam de Deo ejusque Cultu religioso naturalem ad salutem esse sufficientem, ita ut solo ejus ductu salutem æternam homo Gentilis queat assequi. Inter Pontificios sunt Erasmus & Franciscus Puccius, Florentinus, in scripto de Meriti Christi Servatoris Efficacia edito 1592. Inter Calvinianos Zvynglius, numerans Herculem, Numam, Aristidem, Socratem inter beatos Coelites, quem è recentioribus secutus est Moses Amyraldus, Professor Salmuriensis circa annum 34. hujus seculi, docens duplicem prædicationem, aliam revelatam, aliam insitam & acquisitam. Priorem aiebat gignere cognitionem distinctam, alteram confusam, utramque per se sufficere ad salutem. Inter Arminianos penè omnes & nominatim Stephanus Curcellæus sss) docent, Gentiles, etiam si Christum ignorant, modò secundum rectæ rationis lumen honestè sanctèque vivant, nihilominus per gratiam Dei extraordinariam salvari, aut ad minimum ignis æterni supplicium declinare. Verum uti sententia ista inanis est, ita ab ortho-

000) Vid. Celeb. M. Fridericus Hildebrandus in Synops. Histor. Univers. Period. IV. p. m. 49. ppp) H. Grotius lib. IV. de V. R. C.

qqq) Danhauer in Hodosoph. p. m. 180.

rrr) Lége Lic. Voigtii Tractat. de Imagine SS. Trinitatis extra Ecclesiam sub-
obscurè scintillante. Cui adjunge dissertat. Clar. M. Joh. Smidii de
Deo ut trino ex principiis Philosophicis non demonstrabili.

sss) Curcellæus in Quatern. Dissert. Theol. Disp. 3.

thodoxis solidè refutata est argumentis firmissimis, quæ si in præsentî ad-
ducere vellemus, ab instituto nostro forsitan esset alienum. Confer Theo-
logos ttt). Antequam verò Antithesin hanc deseramus, memorandus et-
iam hîc prius venit recentissimus Naturalista, *Eduardus Heerberd*, Baro An-
glus, qui in libro de Religione Gentilium Errorumq; apud eos causis, edi-
to Amstelodami anno 1663 quinque præscribit Articulos, quibus observa-
tis ex Theologia naturali salus æterna impetrari à Gentilibus potuerit. Ar-
ticuli hoc enumerantur ordine 1) esse Deum Summum, 2) eum esse colendum,
3) Virtutem cum pietate conjunctam præcipuam esse partem cultus divini, 4)
dolendum esse ob peccata, ab iisq; resipiscendum, 5) dari ex bonitate justitiæq;
divina præmium vel pœnam tum in hac vitâ, tum post hanc vitam. Ast sicut
hic scripti sui refutationem promeruit, ita refutatus quoque est peeculia-
ribus differtationibus à DD. Musæo & Titio. uuu)

31. Veniamus nunc ad eos, qui Cultus naturalis *externi* limites tranf-
redientes in principio cognoscendi sacrificandi ritum imprimis halluci-
nantur. Scil. ex lumine Naturæ semper ac ubiq; notam fuisse sacrificandi
necessitatem, statuunt 1) Pontificii, xxx) ut eò speciosius in Ecclesia N. T. sa-
crificio Missatico locum facere possint 2) Sociniani & Arminiani yyy), qui
ut speciem aliquam veri argumentis suis affingant, satisfactionem Christi
inficientes, sacrificia officio Typico spoliant, adeoque eorum nullum a-
lium finem agnoscunt, quàm Dei honorem ob beneficia ab eo accepta.
Argumenta eorum examinate superfedem, siquidem in iis refellendis du-
dum operam suam posuere Theologi ac Philologi zzz) adeò ut actum o-
mninò ageret, qui novam eorum refutationem moliretur. Ebræos in ea-
dem versari semita tradit splendidissimum eruditi Belgii fidus, H. Grotius.
Testimonium R. Abravanel recenset Saubertus F. aaaa).

32. In defectu qui peccant, sunt inter alios imprimis *Athei & Blasphemi*
homines, quorum hi Deum injuriis afficiunt, illi planè negant; tantum
abest, ut de eo colendo sint solliciti. Et hi sunt, qui taciti cum insipiente di-

C 3

cunt,

ttt) Gerhardum, in Exeges. Tom. 1. Loc. 2. Joh. Musæum in Dissert. contra
Curcellæum anno 1670. Joh. Meisn. in Theol. Nat. c. III.

uuu) Joh. Musæus in Dissert. An ductu luminis Naturæ homo ad æternam salu-
tatem pertingere pt. D. Gerhard. Titius de Insufficiencia Relig. Nat. ad
consequendam salutem.

xxx) Thomas part. 2. summ. q. 60. a. 3. Bellarminus l. 1. de Missa c. 20.

yyy) Curcellæus l. 4. Instit. R. C. c. XI. §. 5.

zzz) Dorischeus in Mysariâ Missæ contra Herberum c. 1. Kromajer. Theol. Po-
sitivam p. 773. & 887. Frischmuth, Dissert. de Sacrif. c. 2.

aaaa) Saubertus de Sacrific. c. 2. p. 24.

cunt, *Non est Deus*, & vel eò furoris deveniunt, ut ad tempus saltem, quia non vident Deum, ideò in animum suum inducant, nec esse Deum; vel, si credunt Deum, eum tamen non colant, sique forte etiam colant, non tamen nisi ob naturam præstantem, non vero, quia quis opem ab eo, vel gratiam expectet, quippe qui neminem amet, neminem curet; unde hi *α-θεϊσται*, Græcis dicuntur, quod est, impii ac inficiatores Cultus divini, qualis Epicureus omnis, *Parcus Deorum Cultor & infrequens*, ut Horatio *bbbb)* describitur: vel voluptatibus indulgeant adeò, ut ipsis in semet ipsos descendere nunquam vacet, ne dum ascendere ad Deum. Sed nonne his multo peiores æstumes blasphemus? Melius profecto esset, si ejusmodi fursuris homines Deum nescirent, quam si horrendas tales injurias & detestandas blasphemias in eum effutirent & eructarent. Quid censendum putas *de Hobbesio*? Hic tam abjectè de supremi Numinis majestate loquitur, ut ipsius imperium non in omnes valere asserat, tantum in eos, qui suam voluntatem sponte Deo subjiciant; hinc Atheismum ex legem & tantum non impunem pronuntiat. Ita enim ille *cccc)*: *Atheus nunquam Voluntatem suam Dei Voluntati subjecit, ut quem ne esse quidem opinatus fuerit. Summum autem imperium neminem in nos habere, quod non sit ei nostro consensu delatum. Adeoq; cum Atheus nunquam sub regno Dei fuerit, legibus quoq; ejus regni ipsum non obligari. Quomodo ergo peccare dicetur is, qui vel non existere Deum, vel non gubernare mundum affirmaverit, vel aliam contumeliam in ipsum evomuerit?* Ergone à Creaturæ arbitrio pende- bit imperium Creatoris? ò manifestè blasphemum!

33. Priori non minor error est ejusdem Hobbesii, dum usum Cultus Dei naturalis pædagogicum prorsus negligit, eumq; ad Reip. utilitatem tantummodò restrinxit. Ut verò finis hic eò facilius obtineri queat, absolutissimam Magistratui potestatem mandandi credenda tribuit. Et hanc Magistratus potestatem non tantum valere ait *in Regno Dei naturali*, in quo Civitatem posse Cultum Dei instituere pro arbitrio suo asserit *dddd)*, sed etiam *in Prophetico*: hinc de seipso *eeee)* dicit: *Quare nullos ego libros Scripturæ sacræ agnoscere debeo, præter eos, quos sancivit Ecclesia Anglicana.* Et alibi *ffff)* Christiano, si jubeatur à Principe legitimo dicere, quod non credat in Christum, parendi necessitatem imponit. Sed absurdissimam esse

bbbb) Horatius od. 34. l. 1.

cccc) Hobbesius de Cive cap. XIV. §. 19. cap. XV. §. 2.

dddd) Idem l. c. cap. XV. §. 16.

eeee) Idem Leviath. c. 33. ab initio.

ffff) Idem l. c. cap. 42. p. 234.

esse hanc doctrinam imò impiam, quis sanæ mentis non videt? Absurditatem hanc atque impietatem satis examinavit, examinatumq; refellit ac damnavit Templerus gggg) quem vide.

34. Ultimo demum loco nequissimi Judæi, *Spinosæ*, pestiferam doctrinam, ut fœdam omnium errorum colluviem, adducere lubet, ut pote qui circà omnia capita, à nobis recensita, *in defectu* enormiter erravit, nullum præter *Naturam* Deum agnoscens, fingensq; eum omni cognitione singularium carentem. Præter hæc idem statuit, nihil interesse, qualescunq; quis sensus de Deo foveat, qualemcunq; ei cultû exhibeat, dummodo eas habeat opiniones, quibus vitam & atate svaviter exigere possit; conaturq; omnem moralitatem è medio tollere, eumque cultum tantum superesse finit, qui arbitrio Magistratus aut Principis, qui rerum potitur, constituitur. Insuper omnia fatali necessitate nexuque causarum naturalium evenire asserit, ideoque omnem Dei cultum vanum esse; nihil enim eo immutari posse; sed totum cultum oriri ab ignorantia æternarum Veritatum, quæ subigat homines cogitare, quædam per formam præcepti nobis præscribi; & ex præcepti obedientia vel inobedientia prospera vel adversa nobis evenisse, vel eventura quondam: quæ omnia, si rectè animum attendant homines ad fatalitatem eventuum omnium rerum, nulli gubernationi, quæ fit per formam legum, locum relinquunt. Hinc duplex constituit regnum, *pietatis* unum, alterum *cognitionis & scientiæ*; ad prius refert homines pios & probos, sed parum rerum intelligentes, cum æternarum veritatum ignorantia ducantur; ad posterius eos, quorum mens, cum veræ rerum cognitione imbuta sit, nulla tangatur religione, neque ullam ejus partem exerceat, sed actiones alias sectetur, alias fugiat propter rationes physicas, quatenus bona vel mala physica ad se inde redundatura prævideat. Ex quibus colligit demum ac concludit, neminem per naturam scire se ullâ Religione erga Deum teneri, sed tantum hoc homini posse innotescere ex revelatione signis confirmatâ. Quis itaque non videt, impiam, blasphemam ac detestandam esse hanc sententiam, quæ reverà Atheismum complectitur, aut ex ipsius principiis ille rectè colligitur, uti loquitur Lamb. à Velthuyfen hhhh) qui integro tractatu
Spinosæ

gggg) D. Joh. Templerus in *Ideâ Theologiæ Leviathanis* Dogmate XXXII.
pag. 201.

hhhh) Lamb. à Velthuyfen in *Tractat. de cultu Naturali contra Spinosam*

Spinosa sententiam refutavit, ad quem plura ea de re sciendi cupidum
Lectorem volumus ablegatum.

35. Haecenus pro ingenii viriumque modulo suscepti thematis
tractationem diduximus. Jam labori nostro finem imponimus Benev.
Lect. maximo rogantes opere, velit conatus nostros serena fronte acci-
pere, & si quid ejus expectationi in materia tam ardua non responderit,
aetati nostrae dare veniam. Deo vero pro concessa nobis gratia sit

Laus & Gloria.


COROLLARIA.

1.
Nato Christo non omnia Oracula obmutuerunt.
2.
Non dantur Athei speculativi.
3.
Motus localis verus ac unicus Motus est.
4.
Iridem ante diluvium fuisse probabile est.
5.
Propria à subjectis suis non possunt separari.
6.
Imperium Metaphysicum male appellat Phantasticum
Hornius.
7.
Neque Plato, neque Cartesius fuit Scepticus.
8.
Carolus M. fuit natione Francus.









Farbkarte #13 B.I.G.



B. V.
 PHILOSOPHICAM
 a Naturali
 UDEI
 gnoscibili,
 o indultu
 tatis Philosophicæ
 SES
 JS HULSIUS,
 l. Studios,
 ondens
 e / Phil. & Theol. Stud.
 argenses,
 orum Examin
 ciunt
 M DC LXXXII.
 Q. C.
 SIÆ
 L. GEORG.

T 155

